





1. Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro stante  
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller s. Christoph Gottl. s. diff. de Genuina  
vocum xarakter et yposta si notione.  
Lipscie 1738.
3. Morheim s. Joh. Laur. s. diff. de iefu Christo  
vindice dogmatis de mortuorum ad  
vitam redditu, Helmst. 1740.
4. Müller s. götts. En. s. diff. de papolatria.  
Lipscie 1726.
5. Müller s. phil. s. diff. de jure Dei in Homines;  
jena 1707.
6. diff. de regno Israeli restauran-  
do, jena 1709.
7. crocodilus lachrimans; jenae 1733.
8. diff. de Iesu Christo deandropo, jena  
1704.
9. Schedini s. Caspi. gottfr. s. diff. de gloria  
renundi jenae 1661.

*m. 30 24*  
A. Q.

DE

# REVERENTIA ADVERSVS DEVM SE IPSVM ET ALIOS

AD ILLVSTRANDA VARIA SCRIPTVRARVM  
SACRARVM ET PROFANARVM LOCA

*DISSE*  
*TATI*  
*O*  
*VIT*

QVAM

CONSENSV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAE S I D E

## GEORG. PHILIPP. OLEARIO

S. THEOLOGIAE DOCTORE, GRAECARVM ET LATINARVM LITERARVM PROFESS. PVBL. ET MAI. PRINC. COLLEGII  
COLLEGA

D. VII. IVNII. cI*o* Icc XXX

P V B L I C E D E F E N D E T

## BVRCKH. LVDOV. ECKHARDVS

SVLA HENNEBERG.

---

BAVDIVS ORAT. II.

Plerique scientiae typho sic insolescunt, ut Deum vereri ac venerari  
dedignentur, quasi doctrina dux esse debeat ad induendos ritus  
Cyclopum, et exuendam Nummis Reverentiam, in quo sunt omnes  
thesauri scientiae ac sapientiae reconditi.


---

L I P S I A E  
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.



ΑΓΓΙΕ Ε Η Β Ι  
Μ Α Ν Β Α Σ Δ Ε Α Μ  
Σ Ρ Ι Τ Ε Λ Α Λ Ο Σ  
Μ Υ Α Ρ Α Μ Α Σ Τ Α Ρ Α Μ  
**PLUTARCHVS DE SUPERSTITIONE**  
T. II. p. 171.

Ἐνιοὶ Φεύγοντες τὴν δεσμοφυλακαν, ἐμπίπλοσι εἰς αἴθε-  
τητα τραχήεσσι καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κε-  
μένη τὴν ἐντέβεταν, i.e. Quidam superstitionem fugien-  
tes, dum transiliunt in medio positam pietatem, in  
asperam pertinacemque incident impietatem.



I.



Vm paucis abhinc annis de  
Reuerentia aduersus Angelos  
spuria et genuina pecu-  
liari dissertatione a nobis  
actum fuerit: non ab re-  
fore existimamus, in praes-  
sens de Reuerentia quoque  
aduersus Deum, se ipsum  
et alios paulo accuratiorem instituere disquisitionem.  
Vbi ante omnia circa voces notandum censemus, Re-  
uerentiam non tam late a nobis hic accipi, vt omnia  
officia, quae homo Deo, sibi ac aliis debet, comple-  
ctatur; quin potius sensu specialiori hanc vocem  
sumimus, adeo vt per Reuerentiam intelligamus ve-  
nerationem amore et timore permixtis temperatam,  
quae facit, vt non quaelibet eo, quem reuereri dici-  
mur, praeidente et spectante audeamus, sed multis ab-  
stineamus, certi, ea illi nec probari, nec cum moribus  
eius congruere, saepe etiam ab iis, quae raimeti non  
violent regulas honesti ac iusti, repugnant tamen prae-

A 2

ceptis

#### 4 DE REVERENTIA ADVERSUS DEVVM

ceptis decori ac ciuitatis, qualia multa in vita humana occurrere, extra contiouersiae aleam positum est; nam prout homines a brutis animantibus distinguit Humanitas; sic homines ab hominibus Ciuitas, morumque elegancia ac modestia, ad quam in primis pertinet reuerentia, quam summam homo rationalis Deo debet, deinde ei subordinatam sibi met ipsi, ac aliis hominibus, cum quibus sancto societatis vinculo coniunctus est, quo itidem spectant ritus recepti, quibus honorem et amorem, tum erga Deum, tum alios testari solemus.

II. Ipsa Etymologia haud contemnendam lucem  
hac ex parte nobis afferre posse videtur. Nimurum  
*Vereri*, vnde *reuereri* et *Reuerentia* deriuatur, timere  
est cum pudore quodam, nec non caritate erga eum,  
quem metuimus. Hinc nonnulli haec ita separant,  
ut vereri dicant esse liberi hominis, timere serui,  
quod ille pudoris, hic poenae metu teneatur, vti de  
Appio CICERO testatur: *Metuebant eum serui, ve-*  
*rebantur liberi, carum omnes habebant.* Ex quo  
fonte manat virtus, quae verecundia dicitur, ac CI-  
CERONI *Custos est omnium virtutum, dedecus fu-*  
*giens, laudemque maxime consequens, et sine qua, eo-*  
*dem iudice, nihil potest esse rectum, nihil honestum.*  
Qua de re infra nobis ex professo agendum erit. A  
vereor fit *reuereor*, quod est honor; a quo *reuerentia*  
honor, quem, tam in verbis, quam in factis alicui exhibemus. Vnde, rem aliquam turpem nominaturi, dice-  
re solemus, *salua reuerentia, saluo honore, reuerentia*  
*sit auribus vestris*, item *Reuerendus h. e. dignus re-*  
*verenter, et reuerenter aduerbiū, cum reuerentia.*

Vetus Glossarium HENR. STEPHANI vocem  
lati-

Cicer de Se-  
ne&c. c. XI.

Cic. in Part.  
c. XXIII. et  
L.I. de offic.

latinam Reuerentia Graeca lingua reddit ἐντροπή, quae  
vox occurrit 1. Cor. XV. 34. οὐ γνωστὰς γάρ Θεοὶ τινες  
ἐχοσι, πρὸς ἐντροπὴν μὲν λέγω, quae verba a plurimis in-  
terpretibus ita accipiuntur, quasi mens Apostoli haec  
esset, ad pudorem vobis iniiciendum haec dico, id  
est ut vos pudeat, istos sectari. Seu, atque haec dico,  
ut pudore vos affectos ad officium reuocem: ne vide-  
licet more eorum, qui Deum non nouerunt, ventri  
dediti sitis, et res diuinās negligatis. Vetus tamen  
interpres ibi vertit, *ad reuerentiam vobis loquor*:  
quasi videlicet Apostolus in hac reprehensione ipsis  
quadam verecundia perpercisset, quae sunt verba lau-  
dati HENRICI STEPHANI in Thesauro  
Linguae Graecae sub voce ἐντροπή a BEZA quoque  
in annotationibus ad Nouum Testamentum adducta,  
vbi tamen menti interpretis vulgati conuenientius  
videtur, si dicamus, eum usurpare vocabulum reue-  
rentiae pro pudore, vt alias, v. gr. Pl. XXXIV. v. 6.  
*Induantur pudore et reuerentia.*

III. Sed nunc ad rem ipsam progressuri ac pri-  
mo loco de Reuerentia aduersus Deum acturi, ante  
omnia in fundamentum huius inquiremus, singulas  
deinceps partes perlustraturi, et quae praecipue no-  
tatu digna circa hoc negotium occurruunt, tum in scri-  
ptoribus sacris, tum profanis, quantum instituti ratio-  
ac breuitatis studium permittunt, diligenter enarrar-  
turi, qua methodo, postea ad reuerentiam nobis  
ipsis ac aliis debitam progressi, item usuri sumus.  
Quod igitur ad fundamentum reuerentiae summo  
Deo debitae attinet, hoc in ipsa natura Dei Crea-  
toris, ac hominis rationalis ad ipsum et propter ipsum  
conditi, situm esse adeo manifestum putamus, vt ne-

cōsequitur

A 3

minem

## 6 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

minem de hac re temere dubitare posse persuasi simus, quisquis naturam Dei Creatoris ac Creaturae rationalis ab ipso, quanta quanta est, in esse, fieri et operari, ut cum Metaphysicis loquamur, pendentis cognitam ac perspectam habuerit.

IV. Quae causa est, vt ad notitiam Dei insitam hic prouocare nulli prorsus dubitemus, quamuis enim nos minime fugiat, eandem a Socinianis, Arminianis ac Hobbesianis acerrime impugnari, quin etiam false irrideri et adunco suspendi naso: Haec tamen omnia nos minime deterrere possunt, quo minus Veritati immotis fulcris subnixae adhaereamus, testimoniumque perhibeamus. Etenim quamuis per notitiam Dei insitam neutiquam cum CARTESIO intelligamus actualem de Deo ideam, quae infantibus ab vtero materno, haud aliter ac PHIDIAE imago in clypeo Mineruae inclusa inhaereat, id quod experientiae repugnare videtur; sed hoc affirmamus τὸ γνῶσθαι τὴν Θεὸν Φανέρων εἶναι ἐν αὐτοῖς i. e. id quod de Deo cognosci potest, manifestum esse in hominum animis, propterea quod animae rationali lux quaedam vel perfectio naturalis adhuc sit congenita, ex splendore lucis imaginis diuinae sine dubio residua, vi cuius simul atque ad usum rationis homo peruenierit, naturali sensu interno Deum percipit, adeoque huic propositioni, Deus existit, terminis, ex quibus constat, apprehensis ac intellectis, citra discursum assensum praebet. Et quamuis haec naturalis Dei perceptio ut plurimum per improbitatem supprimatur, minime tamen penitus ita eradicari potest, quin in hominibus etiam sceleratissimis vim suam subinde exerat.

Rom. I. 19. *γνῶσθαι τὴν Θεὸν Φανέρων εἶναι ἐν αὐτοῖς i. e. id quod de Deo cognosci potest, manifestum esse in hominum animis, propterea quod animae rationali lux quaedam vel perfectio naturalis adhuc sit congenita, ex splendore lucis imaginis diuinae sine dubio residua, vi cuius simul atque ad usum rationis homo peruenierit, naturali sensu interno Deum percipit, adeoque huic propositioni, Deus existit, terminis, ex quibus constat, apprehensis ac intellectis, citra discursum assensum praebet. Et quamuis haec naturalis Dei perceptio ut plurimum per improbitatem supprimatur, minime tamen penitus ita eradicari potest, quin in hominibus etiam sceleratissimis vim suam subinde exerat.*

Lactant. L. II. „Adeo ipsa veritas, inquit LACTANTIUS,  
c. I. cogente



cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erum-  
pit, quod quidem non faciunt in prosperis rebus.  
Nam tum maxime Deus ex memoria hominum ela-  
bitur, quum beneficiis eius fruentes, honorem dare  
diuinae indulgentiae deberent. At vero si qua ne-  
cessitas grauis presserit, tunc Deum recordantur:  
si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis  
incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas dene-  
gaverit, si saeva tempestas, si grando ingruerit:  
ad Deum consugitur, a Deo petitur auxilium, Deus,  
ut subueniat, oratur: si quis in mari vento saevien-  
te iactatur, hunc inuocat: si quis aliqua vi afflita-  
tur, hunc protinus implorat, si quis, ad extremam  
mendicandi necessitatem deductus, victum precibus  
exposcit, Deum solum obtestatur, et per eius diui-  
num atque vnicum numen hominum sibi misericor-  
diam quaerit.

V. Hinc non Christiani tantum Doctores, ut Arnob. L. I.  
**ARNOBIVS, HIERONYMVS, TERTVLLIA-** adu. gentes.  
**NVS, MINVTIUS FELIX**, et nostrates Philoso- Hieron. com-  
ment. in Io-  
phi ac Theologi vnanimi consensu, sed ipsi quoque bum c. 36.  
pagani congenitam Dei notitiam agnouerunt, ita **CI-** Tertull. de  
**CERO**, omnibus innatum esse, et insculptum, quod mae et in Apo-  
sint Dii, affirmat, et alibi: „quae est gens, aut quod“ log. adu. gen-  
genus hominum, quod non habeat sine doctrina an- tes c. XVII.  
ticipationem quandam Deorum, quam appellat πρό- Minut. Felix  
ληψιν EPICVR VS, idest, anteceptam animo rei“ Cic. L. II. de  
quandam informationem, sine qua nec intelligi quid- Nat. Deor.  
quam, nec quaeri, nec disputari potest. Cum enim“ L.I. de Nat.  
non instituto aliquo, aut more, aut lege, sit opinio“ Deor. c. 16. sq.  
(de Deo) constituta, maneatque ad vnum omnium“  
firma consensio, intelligi necesse est esse Deos, quo-“  
niām

## 8 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

„niam insitas eorum vel potius innatas cognitiones  
„habemus. De quo autem omnium natura con-  
„sentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos con-  
„fitendum est. Quod quoniam fere constat inter o-  
„mnes, non philosophos solum, sed etiam indoctos,  
„fateamur, constare illud etiam, hanc nos habere siue  
„anticipationem, vt ante dixi, siue praenotionem Deo-  
„rum.., Quibus tamen perperam ad Deos transfertur  
notio, quam non nisi de vno vero Deo natura ho-  
minum mentibus impressit, locutione ad opinionem  
vulgi accommodata. Etenim vnum sumnum Deum  
esse, reliquos autem improprie sic dictos eius ministros  
ac satellites, nimirum spiritus creatos, siue angelos, quos  
ille vnum maximus et potens omnium his officiis praefecit,  
vt ipsi eius imperio ac nutibus seruant: saniores  
quoque Ethnici cognouerunt, id quod pulchre edisserit

MAXIMVS TYRIVS Platonicus Philosophus,  
vbi mortales omnes ait, tum politos, tum barbaros, et si  
in plerisque diffideant, quae ad mores et instituta  
pertinent, atque etiam in Deorum formis et appella-  
tionibus, eorumque cultu, tamen vnam eos habere  
per vniuersum terrarum orbem consensu omnium  
constitutam legem ac rationem, vnum esse Deum, Re-  
gem omnium ac parentem etc. Εν τοστιν δι πολέμω  
καὶ σάρει, καὶ διαφωνίᾳ ἔνας ἴδοις αὐτὸν εἰν πάσον γῆς ὄμοφωνον νό-  
μον καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς ἐις πάνταν βασιλεὺς καὶ πατήρ.

CICERO rursus alibi grauissimis verbis pronunciat:  
„Ex tot generibus nullum esse animal, praeter homi-  
„nem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque  
„in hominibus nullam gentem, neque esse tam imman-  
„sueram, neque tam feram, quae non etiam si igno-  
„ret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum  
„sciat.

VI.

Max. Tyr.  
Dissert. I.

Cic. L. I. de  
Legibus c. 8.



VI. Quam impressam in animis hominum Dei notionem CICERO l. c. c. 10. exinde potissimum confirmat, quod plane intelligamus, nos ad iustitiam natos esse, neque opinione, sed natura constitutum esse ius; neque solum ius et iniuriam a natura dijudicari, sed omnino omnia honesta ac turpia: nam et communem intelligentiam, (quam Philosophi alias *noivæ èvòiæ* vocant, de quibus PLVTARCHVS peculiarem tractatum conscripsit) nobis notas res efficere, easque in animis nostris inchoare, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. quae tanta certitudine mens humana intelligit, ac ullum obiectum per summam sensuum evidentiam apprehendi ac percipi potest, adeo ut haec, eodem CICERONE l. c. 16. iudice, in opinione existimare, non in natura posita, dementis sit. „Et quamvis tanta sit corruptela ma- Cic. l. c. c. 12. „lae consuetudinis (addimus, ipsius horribili modo depravatae humanae naturæ a primis parentibus per naturalem generationem ad omnes posteros propagatae) „vt ab ea tanquam igniculi extinguantur a na- „tura dati, (qui certe nihil aliud sunt, quam reliquiae imaginis diuinae in mente humana adhuc naturaliter residuae) exorianturque et confirmentur vi- „tia contraria, inprimis per falsam philosophiam, quae lumen naturale i. e. *noivæ èvòiæ*, *communes notiones*, nimurum τὸ γνῶστον τε Θεός, et naturalem ac necessariam discriminis honestorum ac turpium notitiam ex recta hominis ratione, quae ex ratione siue sapientia summi Dei orta est, manantem (siquidem iuxta pulcherrimum EPICHARMI dictum Ο δέ γ' τ' αὐθεώπω λόγος πέφυκ' απὸ τε Θεός λόγος, Et Dei a ratione ratio nascitur mortalium,) penitus extinguere satagit, cum homines horribili modo

B

modo



## 10 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

Io. III. 18.

I.c. c. II.

modo corrupti, ut vitiosis suis affectibus tanto securius suauiusque indulgere possint, tenebras magis diligant, quam lucem: tanta tamen hac ex parte adhuc est vis naturae, ut omnes gentes aequa naturale discrimen inter virtutes et vitia, ac inter lucem et tenebras, agnoscant. *Quae enim natio, inquit M. TULLIUS, non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit?* quae superbos, quae maleficos, quae crudelés, quae ingratos non aspernatur, non odit?

VII. Vnde satis elucescit, hanc esse legem aeternam, ut creatura rationalis virtutem sectetur, et vitia cane et angue peius fugiat, quam legem aeternam merito dixeris Archetypam, quae scilicet fuit in ipso Deo ante condita secula, non tanquam iussio, prout scite docet B. SCHERZERVS System. Theol. Loco IX. §. IX. qualis est sola *Ectypa*, quae obligat creaturam rationalem ad Dei similitudinem, postquam Deus eam condere decreuerat, necessario conditam; nimirum ita, ut instar Dei esset sapiens, iusta et sancta: neque enim Deus sapiens, iustus, et sanctus creaturam rationalem malam i. e. insipientem, iniustam, et profanam producere potuit, vel talem ei legem praescribere, ut Deum optimum maximum, suum Creatorem, ac proximum odio haberet, et omnia faceret, quae cultui, reuerentiae, et amori Dei, vel etiam proximi, adeoque rectae et sanctae naturae tum Dei, tum ipsius creaturae rationalis ad Dei similitudinem factae, ex diametro repugnarent, et naturam creaturae rationalis a Deo ad certum finem sapientissime conditae penitus euerterent ac destruerent: sed illa lex aeterna *Archetypa*, de qua loquimur, tanquam norma



ma in mente diuina existit, ac nihil aliud est, quam aeternum et immutabile intellectus diuini iudicium de actionibus, quae naturae rationali necessario conueniunt, committendis, quae vero naturae rationali necessario disconueniunt, omittendis, coniunctum cum decreto, ut illae ab agente rationali fiant, hae autem intermittentur. Hanc legem *Archetypam* exprimit lex naturalis *Ectypa*, creaturis rationalibus a Deo implantata, cum alioquin si Deus hanc legem non praeciperet, se ipsum et naturam suam abnegare necesse haberet, ita ut nollet, se Deum esse, id quod manifestam contradicitionem et absurditatem implicat; adeoque Lex naturae *Ectypa* hominum cordibus inscripta, est iudicium intellectus humani immutabile de actionibus, quae naturae rationali necessario conueniunt, committendis, quae vero ei necessario disconueniunt, fugiendis, ut propterea quaedam legis Dei aeternae participatio a Moralistis appelletur, Conf. IO. PAVLI HEBENSTREITI *Philosophia prima* p. 862.

VIII. Tantum igitur abest, ut haec lex aeterna *Archetypa* sit commentum Scholasticorum, ut potius in natura Dei ac creature rationalis sit firmissime fundata, vnde omnes saniores Philosophi, etiam inter Ethnicos meliora longe, vti in multis aliis, ita hic quoque, quam multi hodie Christianorum, docentes eam agnouerunt. Ita CICERO: *Lex est ratio summa* Cic. L. I. de *insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt* leg. c. 6. *prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est.* Hanc rationem summam Philosophi esse dicebant inentem diuinam, ad recte facta vocantem, et a peccatis auocantem. Hinc rursus CICERO: "Ergo ut illa" Cic. L. II. de Leg. c. 5. et 4.

„diuina mens, summa lex est; ita cum in homine est,  
 „perfecta est in mente sapientis. Hanc igitur video  
 „sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque  
 „hominum ingenii excoitatam, nec scitum ali-  
 „quod esse populorum, sed AE TERN V M quid-  
 „dam, quod vniuersum mundum regeret imperan-  
 „di prohibendique sapientia. Ita principem legem  
 „illam et ultimam, mentem esse dicebant omnia ra-  
 „tione aut cogentis aut yetantis Dei - - neque  
 „enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio  
 „diuina non hanc vim in rectis prauisque sancien-  
 „dis habere.

IX. Vnde patet, perperam doceri a PV-  
 FENDORFFIO eiusque asseclis, legem natu-  
 rae et omnem moralitatem a sola Dei voluntate pen-  
 dere. Falsissimum, inquam, hoc est. Lex naturae  
 non a voluntate Dei, sed a natura Dei, et Creaturae  
 rationalis ad eius similitudinem fastae, primario pen-  
 det: nam quicquid a sola Dei voluntate pendet, Deus  
 aliter facere potest. Sed postquam Deus creatu-  
 ram rationalem condere decrevit, vi naturae suae  
 hanc legem homini necessario praescripsit, ut ipsum,  
 eti summum Creatorem et summum bonum su-  
 pra omnia coleret, ac diligeret, proximum au-  
 tem, sicut semet ipsum: adeoque omnia, quae  
 cultui vel amori Dei ac proximi repugnant, maxi-  
 mopere vitaret. Alioqui nullum prorsus interce-  
 deret discrimen inter legem naturalem, et legem, vt  
 vulgo dicitur, Positiam, tum vniuersalem tum par-  
 ticularem, quae a sola Dei voluntate pendet, quam  
 ob causam Deus mortales ea soluere, vel eandem  
 prorsus abrogare potuit. Sed lex naturae est immu-  
 tabili-

tabilis, quod ex natura Dei et rerum fluat, ita ut Deus eam mutare vel abrogare non valeat. Porro si lex naturae a sola Dei voluntate pendet, profecto habebunt Sociniani, quod volunt, perperam docentes, Deum citra praeuiam satisfactionem peccata condonare posse, quibus Orthodoxi ex hoc potissimum capite recte contradicunt, quod iustitia Dei sit naturalis et necessaria, quae minime gentium peccata citra satisfactionem condonare queat. Vnde non a voluntate, sed a natura Dei moralitas pendet; neque *ius naturae* r<sup>e</sup>g<sup>e</sup>s, ius Dei, quod lex naturae menti hominum insita manifestat, ex lumine naturae omnibus gentibus innotesceret, si hoc ius a sola Dei voluntate proficeretur: quandoquidem quae liberae Dei voluntatis sunt, ex natura homini nunquam innotescant.

X. Non itaque erat, cur hac ex parte Scholastici tantopere exagitarentur, quando docuerunt, legem naturae talia pro obiecto habere, quae antecedenter ad voluntatem Dei sunt vel bona vel mala. Recte omnino Scholastici ita docuerunt, (neque enim omnia a Scholasticis dicta pro falsis vel ridiculis sunt habenda) et hoc dogma a Theologis nostris orthodoxis vnanimi Consensu recte comprobatum fuit. Nam s<sup>r</sup>ons bonitatis moralis, vti iam diximus, in natura rerum situs est, prout rectissime itidem iudicat BECMANVS. Nimurum Deus voluit res bonas, v. gr. pietatem, obedientiam, cultum, iustitiam, temperantiam, quia tales esse vidit, et noluit res malas, v. gr. impietatem, blasphemiam, iniustitiam, intemperantiam, quia itidem per se et natura sua tales esse vidit. Hinc dicitur: *Tu o Deus, non es volens iniquitatem:* quaenam vero causa quo<sup>rum</sup> est, cur

Becman. lin.  
doctr. mor.  
c. 12. §. 9.

PF. V.

## 14 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

Deus nolit iniquitatem, ita ut impossibile plane sit, ut velle queat? nimirum haec, quia omnis iniquitas per se et natura sua est mala. E contrario Deus vult, ut ipsum colamus, ut simus pii, iusti ac temperantes, non primo statim quia vult, sed quia natura Dei et creature rationalis hoc necessario postulat, ut haec summum Creatorem suum colat, eidemque obtemperet. Ergo ratio cultus et obedientiae Deo praestandae in natura rerum sita est, exigitque eam Deus non vi voluntatis suae absolutae, sed quod connexio rerum eam requirat: seu quod perinde est, ratio demonstrandi obedientiam Deo debitam non pendet ex voluntate diuina, sed ex connexione cum natura rerum. Deus Optimus maximus non agit cum creature rationali instar Tyranni, cui symboli loco est:

*Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Sed instar Patris, qui ratione naturae suae, propterea quod Pater est, non potest non a liberis Reverentiam ac obedientiam postulare. Vnde Deus saepe in sanctissimo Verbo suo hominibus permittit iudicium, ipsosque iubet animi sui notiones excutere, ac sententiam ferre, an recte an inique cum ipsis agat;

Lue. XII. 57. ita Seruator dicit: *τι δε κοιδεφέατων εγίνεται δικαιον.* Quare ex vobis ipsis non iudicatis, quod iustum est, id quod fieri non posset, si moralitas in natura rerum non esset sita, sed uincere in voluntate diuina recumeret. Recte igitur dicimus: dari res bona et malas antecedenter ad voluntatem Dei, neque pro absurdo habendum, si dicamus, naturam diuinam in signo rationis priorem esse voluntate diuina, immo naturam prius concipi necesse est, ante liberum volendi actum, qui a natura procedit.

XI. Dici-



XI. Dicimus ergo, ipsam naturae diuinae perfectionem et sanctitatem esse regulam voluntatis diuinae, ac proinde nihil Deum velle posse, quod perfectae et sanctissimae ipsius naturae repugnat: quae cum sit plane immutabilis, etiam honesti ac illi contrarii turpis naturas esse aeternas ac immutabiles. Hinc resultant aeternae veritates, quae ex ipsa naturae diuinae perfectione et sanctitate immediate fluunt, quarum proinde rectitudo ac veritas omnem voluntatis actum antecedit. E contrario si res omnes non antecedenter, sed consequenter essent bona vel malae ad voluntatem diuinam, omnes vel aequi immutabiles, vel aequi mutabiles in bonitate vel malitia sua forent, h. e. Deus illas, quae mutabiles sunt potuisset immutabiles statuere, vel illas, quae immutabiles sunt, potuisset mutabiles reddere. Iam vero multae sunt, quae non possunt non immutabiles esse, h. e. Deus non potest eas aliter velle, ut iustitia, pietas aliaeque virtutes, quas Deus necessario vult, et si non vellet, vellet aliquid, quod infra perfectionem diuinam esset: Bonae ergo sunt, quia immutabilem connexionem cum natura Dei habent, quae quamdiu est, tamdiu Deum quoque eas velle oportet. At aliae quia connexionem cum Dei et rerum natura non habent, qualia sunt obiecta, circa quae versatur Lex positiva, Bonitate sunt mutabili, eoque bonae possunt desinere esse, ut sacrificia, quae Deus olim voluit, nunc vero non vult amplius.

XII. Frustra hic excipitur, Deum naturam rerum et hominis aliter instituere potuisse, sed hoc negamus et pernegamus: postquam Deus creaturam rationalem producere decreuit, non potuit non, ut iam

## 16 DE REVERENTIA ADVERSUS DEVUM

iam supra diximus, eam ad sui similitudinem formare i. e. sapientem, iustum et sanctam, quae propterea a Creatore suo penderet, eumque supra omnia conligeret ac diligeret. Si quis hoc inficias ire vellet, ei statuendum foret, Deum esse potuisse auctorem malum, id quod manifestam implicat contradictionem. Et tamen eo usque nonnulli progressi sunt, ut affirmare non erubuerint, Deum contraria praexceptis Decalogi, et quidem primae tabulae, praescribere posse, idololatriam, sui odium, nominisque sui blasphemiam, sui abnegationem, aliaque, eaque hoc casu fore honesta: neque video, quomodo hanc consequiam ii declinare velint, qui nihil ex se et sua natura honestum vel turpe esse, sed omnem moralitatem ex sola Dei voluntate pendere contendunt. Hinc ipse PVFENDORFFIUS in hac controuersia, an detur naturalis ac intrinseca, non diuina demum voluntate imposita turpitudo, tandem fateri necesse habuit, vocabulum *impositionis* a se non ita stricte accipi, vti a plerisque, pro eiusmodi determinatione, quae citra fundamentum in re ex solo placito imponentis proueniat; quae thesis si serio a PVFENDORFFIO admittatur, negare amplius non potest, esse quaedam ex se et sua natura citra omnem impositionem honesta aut turpia, Deumque talia legge naturae praecipisse aut prohibuisse, non quod ipsis ita placuerit, sed quod per se bona vel mala esse cognoverit. Imo KVLPISIVS quoque fateri coactus est, immutabilitatem iuris naturae fundatam esse in Obiecto, quoniam scilicet circa talia versatur, quae cum ipsa Dei atque hominis natura necessarium et immutabilem habent nexus, qua thesi se-

Pufendorff.  
in Spec. Con.  
trouers. p. 139.

Kulpis. Col.  
leg. Grot. ad  
L. I. cap. I. §. 7.

rio



rio admissa, non video, quomodo moralitas, ut vocatur, obiectiva, quae ad voluntatem diuinam antecedenter se habet, negari possit. Quam propterea cum multis aliis solide defendit D. HOCHSTET-  
TERVS, ac rotunde, eodem Iudice, Vir Illustris ac perspicacissimus in Recensu librorum, qui prodiit Hanouerae Iul. 1700. p. 379. Rectissime, inquit, GRO-  
TIVS iura naturae in intrinseca bonitate ac turpi-  
tudine constituit, quidquid contradicat PVFEN-  
DORFFIVS sententiae, cui a viro docto et pru-  
dente contradicere potuisse miror. Vti proportionum et  
aequalitatum: ita et aequitatis et conuenientiae re-  
gulae aeternis rationibus constant.

XIII. In PETRI BAELII Continuatione Cogitationum diuersarum, peculiare legimus caput, quo ostendit Doctores Christianos, Philosophos et Theologos communiter docere, dari quaedam bona vel mala antecedenter ad omnem liberum voluntatis diuinae actum, quae ideo bona sunt, non quia Deus voluit, sed quia in se habent bonitatem, et dari quaedam mala, quae non ideo mala sunt, quia Deus illa noluit, sed quia in se sunt foeda et turpia. Hoc multis testimoniis BAELIVS confirmat, quin etiam praestantissimos Philosophos Ethnicorum lumine rationis conuictos, ut PLATONEM, ARI-  
STOTELEM aliasque idem docuisse ait, et tandem ipse hanc sententiam solide defendit, et ab ob-  
jectionibus vindicat. Illustris LEIBNITIVS allegat BAELIVM de hac re, et simul annotat, Theologos Augustanae Confessionis Reformatos non nullos Doctores, contrariam sententiam professos, ma-

Mr. Bayle  
Continuat.  
des pensées des  
verses §. 152.

Plato Euty-  
phron. Ari-  
stot. Nicom.  
L. V. c. 7.  
Leibnitius Es-  
tias de Theo-  
dicée p. 348.



## 18 DE REVERENTIA ADVERSVS DEV

ximopere improbasse, et hunc errorem eeu foetum  
horribilis decreti absoluti considerasse, cuius doctrina  
eo collineat, vt Dei voluntatem plane absolutam,  
et absque ratione agentem fingat, ita vt sit pro ra-  
tione voluntas, omniaque a decreto Dei absoluto de-  
pendeant, quo ipso simul omnem e rebus conting-  
tiam tollunt, omnibusque euentibus eandem respe-  
ctu decreti diuini docent inesse necessitatem, quae  
est in veritatibus mathematicis; qua in re tandem amic-  
e conspirant cum Spinozistis, cuius rei insigne spe-  
cimen edidit Reformatus Theologus FRANCISC.  
BVRMANNVS, qui in *Synopsi Theologiae* L. I. c. 25.  
obseruante PHILIPPO à LIMBORCH Theologiae  
*Christian.* L. II. c. 15. §. 6. vt omnem e rebus conting-  
tiam tolleret, ipsis SPINOZAE verbis per integrum  
caput ferme ad verbum descriptis, hanc malam suam  
causam pessime egit; vt quoque non solum PETR.  
BAELIVS in stabiendi prauis suis dogmatibus  
CALVINI et Synodi Dordracenae auctoritate aduersus  
Reformatos Doctores abusus est, eosque defectionis ab  
orthodoxa scilicet CALVINI doctrina callide et ma-  
litiose insimulauit: verum etiam recentiores Spinozi-  
stas itidem ad consensum cum Reformatis, ac specia-  
tim Britannis Theologis, subinde prouocare videas,  
qui posteriores tamen horrendo huic dogmati, prout ab  
ipso CALVINO vocatur, de omnibus euentibus etiam  
in actionibus humanis per absolutum decretum et  
omnipotentiam diuinam absolute determinatis, vt  
nimirum aliter, quam eueniunt, euenire nequeant,  
iamdudum nuncium miserunt. Et hanc doctrinam  
Stoicam et Spinozisticam de fatali et absoluta ne-  
cessita-



cessitate imputationem actionum humanarum ac omnem moralitatem religionemque euertere, per se patet, et iam a pluribus ex instituto ostensum fuit, v. inter alios Mr. ARNAVL D *Renversement de la Morale. Paris. 1672.*

XIV. Hoc vnicum tantum in controuersia cum PVFENDORFIO agitata adhuc commemorare liceat, LEIBNITIVM, postquam l.c. dixerat, PVFENDORFIVM a communi doctrina, simul vero a recto veritatis tramite discessisse, hanc de eo ferre sententiam: "Mr. Pufendorf a paru étre d'un autre opinion, qu'il a voulu soutenir contre les censures de quelques Theologiens, mais il ne doit pas étre compté, et il n'etoit pas entré assés avant dans ces sortes des matieres. Il crie terriblement contre le decret absolu dans son Fecialis diuinus, et cependant il approuve ce, qu'il y a de pire dans les sentiments des Defenseurs de ce Decret." Quae causa itidem est, quod Auctores commentariorum rei literariae inseruentium, qui Triuoltii publicantur, dixerint: vera moralitatis principia in recentioribus Iuris naturae scriptoribus Germaniae admodum desiderari, ex quo PVFENDORFFIVS ab iisdem discesserit: vnde talibus Auctoribus suadent, vt aliquando CICERONIS libros de *Legibus* sedulo meditentur, vt pote ex quibus vera ista Moralitatis principia apud ipsos obliuione penitus sepulta de novo addiscere valeant. Quam sententiam confirmat Celeberrimus D. IOAN. ALBERTVS FABRICIUS BRICIVS, multos illos Scriptores reprehendens, qui inter Germanos nostros ac medios Christianos,

v. Nouellas  
eruditas Lipsi-  
ens. A. 1720.  
N. 92. p. 732.

C 2 longe

Fabricius  
Bibl. Lat.  
Vol. II. p. 140.



„longe deterius, quam CICERO aliquis, vel PLA-  
TO philosophantur, et nulla facta mentione hu-  
manitatis communisque iuris, ad quod diuinitus  
nos conditos esse pulchre profitetur CICERO,  
nullam aliam legem naturalem actionum huma-  
narum agnoscunt, quam iubentem facere, quae  
conditionem tuam perficiant, et omittere, quae  
deteriorem reddant, finguntque, ad eam nos ob-  
ligari etiam seposita maiestate Numinis:,, quibus  
positis principiis quale scelus sit, quod strenue com-  
mitti non possit, se videre negat laudatus FABI-  
CIVS; nam etiam qui sibi, vel qui alteri consciscit  
necem, iudicans se amplificare conditionem suam, et  
qui ambitioni litat, aut avaritiae, vel qui indulget  
voluptatibus, qui vindicta animum suum pascit, egre-  
gie sic obsequi praecepto naturae videbitur. Lex au-  
tem naturae non quaerenda est in eo, vt felicitatem  
nobis sectandam praecipiat, nam in hoc nullus pot-  
est esse error, nulla transgressio, neque lege ad hoc  
opus: sed quo pacto illa ab omnibus desiderata feli-  
citas recte quaeri, certissimeque obtineri debeat. Hoc  
si amore in Deum et in homines charitate vnice asse-  
qui nos posse, Christo crederemus docenti: nec a le-  
ge naturae aberraremus, nec infra Ethnicos sapere-  
mus, aliasque sapere doceremus. Gauderemus etiam  
potius in CICERONE, et aliis a Christo licet  
alienis scriptoribus, tam vere et late patentis legis de-  
prehendere nos alte et pulcherrime impressa vestigia,  
inque his monstrandis, illustrandis et commendan-  
dis potius, quam in contemptum adducendis, laudem  
ingenii quaereremus. Hactenus Celeberr.Dn. D. FA-  
BRI-



BRICIVS, cuius memoriam summa cum Veneratio-  
ne nunquam non recolimus, eidemque pro egregio  
hoc veritatis testimonio corruptis hisce temporibus,  
quibus falsa philosophia instar diluvii patriam nostram  
inundat, hac occasione prolixas decernimus grates.

XV. Ex hactenus dictis iam porro satis elu-  
cescit, neque socialitatem pro prima et fundamenta-  
li lege iuris naturae, reliquas omnes complectente, re-  
cite haberi; et in hoc primo principio Pufendorfiano  
omnia tandem ad propriam vtilitatem et Philautiam,  
quod est primum principium falsae philosophiae Hob-  
besianae et Spinozianaee, redire B. D. TITIVS no-  
ster pro summa iudicij *anq[ue]Beisq[ue]* animique ingenuitate, seru. ad Pu-  
qua pollebat, agnouit et improbavit. Idem agnouit *fend. de Offic.*  
et improbavit acutissimus Batauorum philosophus *Hom. et Ciuit.* 78. p. 123.

GERARDVS DE VRIES, cuius verba de  
hac re audire operae pretium fore existimamus. “A Gerard. de  
faniori, inquit, legis naturalis consideratione longi-“ Vries Exercit.  
fime recedit philosophatio omnium fere, qui de iure“ Rational. p.  
naturali scribunt hodie Auctorum, autumantium,“  
principium Philosophiae moralis primum, atque a-“  
deo praecipuum Legis naturae summam absolui v-“  
nica societatis ciuilis cultura. Ex qua vna hypo-“  
thesi fluxerunt tot monstrifici in hoc negotio con-“  
ceptus HOBBESII, aliorumque, non vt oportet, Po-“  
liticae fundamenta ex Ethica potentium, sed plane“  
praepostere vniuersam Ethicam Politicam hominum“  
societati subordinantium. Hominem quidem sua“  
natura esse animal sociale, certum est: verum vti haec“  
ad societatem ciuilem colendam inclinatio hominis“  
naturam sequitur, non constituit, ita longe altius pe-“

C 3 tenda

## 22 DE REVERENTIA ADVERSVS DEV

„tenda sunt officiorum homini qua tali praestandorum  
„fundamenta , quam ex conuictus ciuilis regulis.  
„Imo vero, homini secundum se considerato ipsa sua  
„natura vi huius legis incumbit obligatio, ad Deum  
„colendum, temperanter viuendum etc. etiam si nul-  
„la ad corpus ciuale, cuius sit membrum, accesserit  
„relatio. Ieiunum est regerere, etiam pietatem,  
„temperantiam, similesque virtutes, quarum citra  
„conuictum ciuilem dari potest exercitium, nihilob-  
„minus ad societatem politicam referri posse , tan-  
„quam eiusdem firmiora vincula, quaeque ad eam  
„colendam hominem reddant aptiorem. Etenim  
„quis non videt, profanum nimium esse, pietatem,  
„temperantiam , etc. sic societati politicae subordi-  
„nare , quasi si sine iis salua haec esse posset, minor  
„existeret ad earum cultum nostra obligatio? Ista ta-  
„men Atheismi politici, nimium hodie, proh dolor!  
„succrescentis sunt infelia semina. Quando igitur  
etiam officia erga Deum ex socialitate posse deduci,  
quamuis indirecte, quatenus ultimum firmamentum  
officiis erga alios homines accedit , P V F E N-  
DORFFIUS docet: sane ex hac ipsa confessione  
iudice iterum D. TITIO l. c. patet, deductionem  
illam recte se non habere, sed vitiosam esse, quando-  
quidem haec demonstratio religionem subordinet so-  
cialitati, praetereaque illius usum secundarium tan-  
tummodo ostendat, cum ratio sibi relictâ hoc cer-  
tissime intelligat, quod religio primario sit propter  
Deum, secundario vero vitae socialis coagulum.

XVI. Nimirum ius naturae ex natura humana  
rationali a Deo ad certum finem condita arcessen-  
dum



dum est; doctrina autem, quae totam legem naturalem ex natura sociali dependere censet, naturam humanam inadaequate expendit, adeoque etiam vel inadaequate, vel contorte inde paecepta naturalia demonstrat. Nos igitur primam ac fundamentalem legem iuris naturae ex ipsa eiusdem definitione supra allata repetendam esse censemus. Vi huius definitionis haec prima Lex naturae est: *Homo, quae cum natura sua rationali a Deo ad certum finem condita, necessario conueniunt, facere, et quae cum eadem necessario pugnant, omittere tenetur.* Cum igitur lumen naturae clarissime dicitur, id quod etiam Veteres saniores philosophi vnanimi docuerunt consensu, omnia, saltem quae ad sphærā nostri orbis pertinent, hominis causa, hominem autem Dei causa nasci, ut adeo homo non primario ad socialitatem, sed ad Deum et propter Deum sit conditus, quam ob causam natura humana religiosa facta est, id est ita ut Deum agnoscere et colere possit, qualis natura religiosa ex tot generibus animantium soli homini ut creature rationali concessa fuit, exinde satis liquido apparet: legem naturalem menti humanae natura insitam ante omnia paecipere cultum ac reuerentiam Dei. Deus est pater noster, nos sumus eius filii: unde summus Deus, quem lumen naturae, tum per notitiam insitam, tum per contemplationem coeli omniumque creaturarum satis manifestat, a Poëta propterea dicitur πατής ἀνθρώπων τε θεῶντε, ubi per Deos Angelos intelligi alibi ostendimus; Ergo amare Deum debemus. Deus est Dominus noster, nos eius servi; Ergo eum timere ac reuereri debemus. Haec lex,

## 24. DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

lex, vt filius honoret patrem, ac seruus vereatur Dominum, menti rationali adeo insita est, vt si quis eam negare sustineret, sine dubio omnem humanitatem ac rationalitatem eiurasse censendus sit. Hinc Deus ipse in sanctissimo Verbo suo ad hanc legem maxime naturalem, et cuius necessitatem homo ad usum rationis prouectus necessario percipit, prouocat dicendo: *Filius patrem et seruus dominum debet honorare.* *Quod si ego pater, ubi est meus honor? si ego Dominus ubi est mei metus?*

Malach. I. v.6.  
Laet. de Ira  
Dei c. 14.

XVII. Pulcherrima sunt verba de hac re Christiani Ciceronis LACTANTII: „sicut Deus, „inquietis, mundum propter hominem machinatus „est, ita ipsum propter se, tanquam diuini templi antitistem, spectatorem operum rerumque coelestium. „Sonus est enim, qui sentiens capaxque rationis intellegere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemque perspicere. Idcirco enim „confilio, mente, prudentia instructus est. Ideo „solus praeter ceteras animantes rectus corpore ac „statu factus est, vt ad contemplationem Parentis „sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus „accepit, ac linguam cogitationis interpretem, vt „enarrare maiestatem Domini sui possit. Postremo idcirco ei cuncta subiecta sunt, vt factori atque artifici Deo esset ipse subiectus. Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, vt rerum omnium dominaretur: vtique iustissimum est et Deum colere, videlicet eum, qui tanta praestiterit, et amare hominem, qui sit nobiscum diuini

ni



ni iuris societate coniunctus, nec enim fas est cul-  
torem Dei a Dei cultore violari. Vnde intelligi-  
tur, religionis ac iustitiae causa esse hominem figu-  
ratum. Cuiusrei testis est M. TULLIUS, in li-  
bris de legibus ita dicens: "Sed omnium, quae in  
doctorum hominum disputatione versantur, nihil est  
profecto praestabilius, quam plane intelligi, vos ad  
iustitiam esse natos. Quod si est verissimum, Deus  
ergo vult (et necessario vult, ita ut in hoc negotio  
non possit non velle) omnes homines esse iustos, id  
est, Deum et hominem caros habere: Deum sci-  
licet honorare tanquam patrem, hominem diligere  
velut fratrem: in his enim duobus tota iustitia con-  
sistit. Qui ergo aut Deum non agnoscit, aut homini  
nocet, iniuste et contra naturam suam viuit, et hoc  
modo rumpit institutum legemque diuinam." Et sic  
agit contra primum principium Iuris et luminis na-  
ture, quod iubet hominem naturae suae, non ani-  
mali, quam cum brutis animantibus communem  
habet, sed rationali, qua cum Deo habet similitu-  
dinem, conuenienter viuere. Quisquis mortalium  
hoc lumen menti suae insitum neglexerit, violaue-  
rit, et quantum in se, suppressore allaborauerit, hoc  
non impune feret. Talis est rebellis in domo ac ci-  
uitate Dei, ab ipso ita instituta, ut omnes Creaturae  
ac in primis rationales ab eo dependere, ipsumque ceu-  
summum Patrem, ac Regem Regum Dominumque  
dominantium agnoscere necesse habeant: "Debemus"  
hunc omnes, iterum loquitur egregie LA CT AN -  
TIVS, et amare, quod pater est: et vereri, quod Do-  
minus, et honorificare, quod beneficis: et metue-  
Laet. de Ira  
Dei c. 23.

D

re,

## 26 DE REVERENTIA ADVERSVS DEV

„re, quod seuerus: vtraque persona in eo venerabilis. Quis salua pietate, non diligit animae suae parentem? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator habeat in omnes veram et aeternam potestatem? si patrem consideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrat: per illum viuimus, per illum in hospitium huius mundi intrauimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copiis alit, ille sustentat, in huius domo habitamus, huius familia sumus etc.

XVIII. Ipsa conscientia animo hominum inculcat τὸ δικαιωμα τῷ Θεῷ, vt non solum intelligent naturale discrimen inter honesta et turpia, verum etiam vt Deum ceu iustum iudicem animo suo persentiscant, qui transgressores Legis naturalis, qua Dei ac hominum inter se societatem sanxit, grauissimis afficiet poenis; ita vt tandem experiantur nolentes per passuum obedientiam, suam a Deo, tanquam iudice, dependentiam, quam volentes, per obedientiam actuum, a Deo, tanquam aequissimo Legislatore agnoscere noluerunt. Haec est causa συμμαχητέοντος αὐτῶν τῆς συνεδρίσεως, καὶ μεταξύ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορεύτων ἢ καὶ ἀπολογεύμένων. i. e. conscientiae ipsorum testimonium reddentis, et cogitationum sese mutuo accusantium, aut etiam excusantium: qua de re CICE-

Rom. II. 15.

L. I. de Legibus c. 14.

RO: „At vero scelerum, inquit, in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt, non tam iudiciis (quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt; ubi sint, tamen perfaepe falsa sunt) vt eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed an-

gore



gore conscientiae fraudisque cruciatu,“ quod fusius adhuc explicat pro Sexto Roscio c. 24. Nolite puitare, quemadmodum in fabulis saepenumero videntis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterriti Furiarum taedis ardentes. Sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque affectus: sua malae cogitationes conscientiaeque animi terrent: hae sunt impiis assiduae domesticaeque furiae: quae dies noctesque parentum poenas a consulari sceleratissimis filiis repeatant.“ Similis etiam sententia extat in Orat. in Pisone c. 20. Quae vis conscientiae humanae, efficacissimam legis naturae obligationem agnoscentis, et grauissimam poenam violatoribus eiusdem a severo ac iusto legislatore Deo paratam exhorrescentis, tanta est, ut potentissimi quoque tyranni nullum in hac terra superiorem, quem metuere necesse habent, agnoscentes eam experiantur ac persentificant. Nota sunt, quae de Tiberio, Nerone, Caligula aliisque memoriae prodiderunt

**S V E T O N I V S ac T A C I T V S.** Etenim male imperantibus facinora atque flagitia sua tandem in supplicium vertunt. Ut est apud Silium:

*Quam vellent nunquam Scepbris fulsisse superbis.*  
Neque frustra, ut ait TACITVS, praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recluantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus, ita saeuitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebat, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.

PLATO

Sueton. Ti.

ber. c. 67.

Tacitus L. VI.

Annal. c. 6.

28 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

TO est is, quem praestantissimum sapientiae hic nominat TACITVS, qui de Rep. nono de Tyranno: πέντε τη̄ σέληθειος Φάρνεται, ἐάν τις ὅλη ψυχὴν ἐπίσηγας θεάσαδαι, καὶ φόβον γέρων διὰ παντὸς τῆς βίου, σφαδασμὸν τε καὶ ἀδυνάν πλήγει. Mendicus reuera est, si quis uniuersum ipsius animum recte norit inspicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus moeroris et cruciatuum. His similia idem Philosophus habet in Georgia. Ad PLATONIS locum etiam CLAVDIANVS respexit RVFINVM Carmine secundo describens :

*peccus iniustiae*

*Deformant maculae, vitiisque inoleuit imago.*

XIX. Postquam igitur fundamentum Reverentiae erga Deum huc vsque considerauimus, nunc ulterius progressuri paulo penitus inquiremus in ea, quae saniores paganorum philosophi ex lumine naturae de hac re agnouerint, ac recte vel minus docuerint, sicut etiam obseruaturi, quae in Ecclesia aut Iudaica aut Christiana notatu forsitan digniora animo nostro se offerent. Numinis igitur reuerentiam in tradendis moralibus iure merito primas obtainere recte iudicarunt saniores Ethnici: neque enim virtus aut socialitas inter homines sarta teatue conseruari potest, si omni religionis vinculo animi soluti fuerint. Nam quamuis PETRO BAELIO hoc facile concedamus, Atheos quoque naturale et necessarium discrimen inter honesta et turpia agnoscere; quis enim non agnoscat, temprantiam vel iustitiam praestare intemperantiae vel iustitiae? interim tamen cum Athei nullum agnoscant



scant legislatorem, a quo haec aeterna lex humanae naturae rationali impressa et praescripta fuerit, ut homo honesta faciat ac turpia fugiat: facillimum fuerit Atheis, hoc naturale discrimen honestorum ac turpium negligere, imo etiam violare, quotiescumque prauae cupiditates, corruptae naturae humanae penitus infixae, eeu facibus admotis hominem extimulauerint. Vnde satis patet, Atheismum per se Reip. noxiun esse, ac necessario homines ducere ad morum corruptionem, id quod BAELIVS perperam negat. Hinc eorum methodum probare minime possumus, qui doctrinam de officiis erga Deum ex doctrina morum ac iuris naturalis prorsus eliminant, cum nisi animus timore Dei inbutus fuerit, officia erga alios nullo firmo niti queant talo.

XX. Id quod non praeteribat Pythagoraeos, qui, ante omnia in Ethicis ac iuris naturae disciplina, agendum esse de Cultu diuino et pietate, recte statuebant, vnde Carmina aurea his verbis incipiunt: ἀλλαγέτε μὲν πρώτα Θεὸς τίμον. Primum Deos immortales cole, id quod adhuc melius in singulari numero expressit PHOCYLIDES: πρώτα Θεὸν τίμον ante omnia Deum cole. Hoc ideo factum SVIDAS existimat, in verbo PHOCYLIDES, quoniam a Sibyllis pleraque hic Auctor mutuatus sit. Quamuis autem omnino res ita se habeat, indicante Celeberrimo D. IO. ALBERTO FABRICIO, vt in Io. Alb. Fabricii Bibl. Gr. L. II. c. II.

D 3

quam



## 30 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

quam tamen existimem, PHOCYLIDEM, quisquis demum ille fuerit, de quo certant Grammatici, et adhuc sub iudice lis est, opus habuisse, hoc dictum πρώτος Θεὸν τῆμα vel e sibyllinis vel aliis scriptoribus siue Iudeis siue Christianis surripere, cum lumen naturae non solum cultum, sed etiam unitatem summi Dei homines abunde doceat. Ipsum quoque PYTHAGORAM summum atque immortalem Deum unum agnouisse notum magis est, quam ut prolixe hic ostendere opus sit; satis de hac re testantur IAMBLICHVS in Vita eiusdem, nec non DIOGEN. LAERTIVS, et inter recentiores CVDWORTHVS in system. mundi intellectuali p. 372.

XXI. Verum, inquires, si summum Deum aliquem agnoscat PYTHAGORAS, ἀθανάτων Θεῶν causam atque Patrem, quid est, quod de eius cultu nihil praeципiant aurea carmina, quae solicite adeo, quomodo ἀθανάτους Θεούς, Heroas item et Θεοὺς καταχθόνες colere fas sit, inculcant. Sed respondemus, hoc ex superstitiosa quadam et spuria reverentia erga summum Deum profici sci, qua in re Pythagoras, iudice DACIERIO, Aegyptios secutus est, qui nunquam de primo principio loquebantur, vt pote quod tenebris ipsum velantibus circumdatum esse sibi persuaderent: vnde Aegyptii supremum Deum pingere solebant, supra caput habentem πτερὸν βασιλεύον: quod siue umbellam regiam significet, vti HVESTIVS in Demonstratione Euangelica interpretatur, siue aliam; significat certe ignotam Dei naturam, atque inde Cneph dictus est ab Aegyptiis Thebaeis, κυρφαῖος a Graecis, hoc est obscurus et tenebricosus, vocibus ab Ebraeo

Mr. Dacier  
Remarques  
sur les vers  
doréz p. 247.

Huet, Dem.  
Eu. Prop. 4.  
c. 4. p. m. 122.  
seqq.

braeo canaph detortis , quod alam sonat, prout idem  
**HVENTIVS** in quaestionibus Alnetanis loquitur. Huet. quaeſt.  
 Hinc Thebaeos quosdam mercatores de Deo diffe- Ahn. p. 110.  
 rentes inducit **ATHENAGORAS** in Eroticis  
 L. VI, vnumque illum esse pronunciantes et κυεφαινον  
 dictum , quod nec oculis spectari, nec animo com-  
 prehendi possit . Quam ob causam **EVSEBIVS** Euseb. I.3.  
 quoque symbolum huius πτερες βασιλείς Cnephi sive praep. Eu. c. II.  
 rerum omnium primi parentis ac conditoris Dei ver-  
 tici impositi sic interpretatur, ὅτι λόγος δύσεμητος , καὶ  
 μεκυμένος , καὶ ἡ Φανός , καὶ ὅτι Γωποῖος , καὶ ὅτι Βασι-  
 λεὺς , καὶ ὅτι νοερᾶς κινήτου , διὸ καὶ τὰ πτερες Φύτις ἐν τῇ κε-  
 φαλῇ κινήται . *Quod mens cognitu difficilis est, et ab-*  
*scondita, nec palam apparens, et quod vitam praeſtat,*  
*et quod regina est, et quod more intelligentis rei mo-*  
*ueatur, quamobrem et alae ortus in capite est.* Huc  
 etiam pertinet **ISIDIS** quae apud Saitas in Aegy-  
 pto proſtabat statua, cui **PLVTARCHO** autore  
 de *Iſid et Oſirid* p. 354. inscriptum fuit : ἐγὼ εἰμὶ πάντων  
 τὸ γεγονός , καὶ ὃν καὶ ἐσόμενον , καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον ἔδει  
 πω δυῆτος ἀπεκαλύψει . *Ego sum omne, quod fuit, quod*  
*est, et futurum est, Peplumque meum nemo unquam*  
*mortalium retexit.* De cuius statuae explicacione  
 plura legi merentur in B. Fratris mei D. **GOTT-**  
**FRIDI OLEARII** *Observationibus Philologicis*  
*de Gestis Pauli in urbe Atheniensium.*

**XXII.** Quae doctrina de natura Dei ignota ab  
 Aegyptiis sine dubio ad Graecos translata fuit , vti  
**IVSTINVS** quandam e Graecis sapientem lau-  
 dat , qui dixerit , eorum , quae ad Deum pertinent ,  
 nihil esse perspicuum certumque hominibus , cui iti-  
 dem

Justinus in  
Exposit. fidei  
et in Paraenet.



## 32 DE REVERENTIA ADVERSVS DEV

dem memoratur scriptor vetustissimus AC MON qui Deum vocat πολύρεψον penitus absconditum. Et quid aliud sibi volebat ara apud Athenienses Saitarum, de quorum statua Isidis paulo ante diximus, corionos teste DIODORO SICVLO L.I. p. 24. ὀγκώσω Θεῷ, Ignoto Deo consecrata, ad cuius explicationem variae quidem ex antiquitate historiae allegari solent, quae tamen minus feliciter applicari videntur. Plura de hac re collecta legi possunt a IOAN. ANDREA BOSIO in Dissertatione Philologica de āra Dei ignoti Jenae cl. Ioc LIX publicata. Fru-

Hieron. Com. stra sane HIERONYMVS multique alii cum ipso in ep. ad Tit. c. I. hac ex parte sentientes existimant: Inscriptionem arae non ita fuisse conceptam, ut PAVLVS asseruit, Ignoto Deo, sed ita: Diis Asiae, et Europae, et Africæ, Diis signotis et peregrinis. Verum quia PAVLVS non pluribus Diis indiguerit ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usum esse, ut doceret illum suum Deum esse, quem Athenienses in arae titulo praenotarent, et recte eum scientes colere deberent, quem ignorantibus venerabantur, et nescire non poterant. Sed neutquam video, quomodo hoc cum candore ac prudenter PAVLI conciliari queat, si quod pluraliter scriptum inuenierat ὀγκώσοις Θεοῖς, non sine aliqua torsione ad singularem numerum deflexum vniuersæ orationi sua pro fundamento substrauisset: nec vlla ratio huius HIERONYMI sententiae adferri potest, in primis cum notissima sint LVCIANI illa, aut quicunque Dialogi istius auctor est, in Philopatride, ἐν τῷ ὀγκωσον ἐν Ἀθηναις. et ἡμέν δὲ τὸν ἐν Ἀθηναις ὀγκωσον ἐφευρότες καὶ προσκυνότας, χείρας εἰς ἔπειρον



*ἐπεινάντες τέτοιο ἐυχαριστούμενοι, νοσούμενοι Athenis inuenierimus et coluerimus ignotum Deum, hic manibus in coelum protensis gratias agimus.* Neque historias vel de simulacro PANIS, qui neglectum se questus auxilium promiserit, occurrente Phidippidae ad Spartanos missō, ut auxilium contra Persas, Graeciam immensa inuidentes manu exposceret, vel de Epimenide Cretensi, tempore pestilentiae Athenis obortae oves albas ac nigras in Areopagum adducente, et suadente, ut dimissis illis, quo ire vellent, ubi illae recubuisserint, ibi sacrificarent τῷ προσίκοντι Θεῷ, Deo conuenienti, ut Auctor est LAERTIVS in Epimenide, huc aduocare opus videtur.

XXIII. Quin potius per ἀγνωστὸν Θεὸν, Ignotum Deum, Athenienses verum Deum, rerum omnium Creatorem ac Dominum intellexisse persuasi sumus; cum Apostolus disertis verbis dicat, se hunc ipsum Deum, quem ignorantes colant, ipsis annunciare. Nam Ethnicos quoque Deum eiusque attributa ex lumine naturae agnoscere potuisse iam supra satis probauimus. Quod autem Ethnici ignotum Deum appellauerint, non adeo mirabitur ille, qui secum reputauerit, hominem Dei quidem existentiam ex lumine naturae satis certo agnoscere, neutiquam tamen ipsius naturam et essentiam intellectu suo perfecte assequi posse: vnde inter attributa Dei incomprehensibilitas referri solet, non quidem eo sensu, quo THOMAS HOBBIVS cum Atheis affirmat, nos nullam prorsus Dei ideam habere: sed Deus incomprehensibilis dicitur, quatenus eius perfectio diuina infinita, relata ad intellectum creatum et finitum,

ab eo plene et adaequate cognosci, capi et comprehendendi nequit: id quod tanto minus mirum est, quod mens finita plurimas res attingere, apprehendere et quomodo cunque cognoscere possit, cum tamen nullam substantiam, ne se ipsam quidem, adaequate cognoscat.

De qual incomprehensibilitate Dei egregie  
**MINVTIVS FELIX** in Octauio, „Deus, in-  
 XVIII. p. 167.  
 ed. Gronou.

„quit, nec videri potest, visu clarior est; nec com-  
 „prehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensibus  
 „maior est, infinitus, immensus, et soli sibi, tantus  
 „quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pe-  
 „ctus angustum est, et ideo sic eum digne aestima-  
 „mus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar, quem-  
 „admodum sentio: magnitudinem Dei, qui se putat  
 „nosse, minuit, qui non vult minuere, non nouit.

**XXIV.** Hinc sapientissimi quique ac mode-  
 stissimi Philosophi Deum non solum, prout inscrip-  
 ptio aera Atheniensis habebat, ubique Deum confi-  
 tentur ἄγνωστον, ignotum, sed etiam αἰδοῖ minime spe-  
 ctabilem, imo ἀγέντον καὶ ἀερφόντον, indicibilem, et  
 si fas ita loqui, inuocabilem et innominabilem. Ita  
**PLATO** Patrem huius mundi nominari negat pos-  
 se, τὸν μὲν ἐν πομπὴν καὶ πατέρα τὸν δε παντὸς ἐγένη τε  
 ἔργον, καὶ ἐγόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγεν. Quem Ti-  
 maei locum sic interpretatur **TVLLIVS** in suo  
 illo de uniuerso libro: Atque illum quidem quasi pa-  
 rentem huius uniuersitatis inuenire difficile, et cum  
 inueneris, indicare in vulgus nefas. Vbi obseruan-  
 dum est, per nefas neutquam hic intelligi crimen,  
 quae est vocis visitata alioquin significatio, sed hoc  
 ipsum quod **PLATO** dixit ἀδύνατον i.e. impossibile,

qua



qua voce nusquam vsus est CICERO. Etenim nefas pro impossibili non a Cicerone duntaxat, sed et ab aliis non leuis notae scriptoribus usurpatum constat. Ita HORATIVS :

*Leuius fit patientia  
Quicquid corrigere est nefas.*

Quin et VIRGILIUS Aeneidos septimo fas accepit pro possibili vbi de MESSAPO canit :

*Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere  
ferro.*

Horat. L.L.  
Od. 24.

Aeneid. L.  
VII. v. 692.

Quanquam Platonis menti neutiquam repugnet, tametsi CICERO Patrem illum vniuersi in vulgus indicare, vulgari significatu nefas esse dixerit; quippe PLATO in Epistola ad Dionysium eiusmodi res diuinias esse censet, vt palam omnibus fieri non debeant. "Caue, inquit, Dionysi, ne quando haec, quae apud te de Deo differeo, ex ore Tibi excidant apud homines imperitos; siquidem vt nulla dogmata bo<sup>n</sup>ae indolis hominibus admirabiliora, atque (vt loquitur Graeca lingua) εἴθυσιας μάρτυρες i. e. diuino affectu pleniora, quam quae de Deo traduntur; ita nulla sunt καταγελασότεροι i. e. magis ridicula et aperi- tiora inscientum hominum ac circulatorum ludibrio." Quam PLATONIS mentem omnino CICERO exprimere voluisse videtur, cum dixit l. c. Parentem huius vniuersitatis indicare in vulgus nefas esse, et Patrem huius mundi nominari non posse; nam expressis verbis PLATONIS sententiam refert, cuius Deus non semel dicitur, ἀρχήτος νοῆς οὐνούματος, i.e. APULEIO interprete, indicibilis et innominabilis.



## 36 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

Xenoph.  
p. 467.

XXV. Id quod a SOCRATE PLATONI didicisse videtur, qui apud XENOPHONTEM libro IV. *Ἀπομνημονεύματων*, hoc est, *Memorabilium Socratis*, vbi de diuino erga homines studio, curaque singulari disputat, cum EVTHYDEMVS illi familiarem Deorum usum gratulari videretur, modeste hominem admonet: non eam esse familiarem Deorum consuetudinem mortali expectandam, ut sua quadam forma se coram spectabiles praebant: id sufficere, quod factit in dies, ut suis se in operibus, humanis oculis ostendant, quae qui diligenter inspiciat, iustum Deo venerationem honore inque protinus exhibiturum: neque vero id mirum videri debere in superis, cum alia pleraque longe inferiora non finant se aspici, et nisi in effectis non cognoscantur, cuiusmodi sunt fulmina et venti, i quos Deorum ministros appellat. Quae omnino cum doctrina

Rom. I. 19. 20. PAVLI admirabilem habent conuenientiam: τὸ γνῶσιν τὴς Θεᾶς Φανέρον ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐΦανέρωσε. Ταὶ γὰρ αἴσθηται αὐτὸς ἀπὸ οὐτούτους κόσμου τοῖς ποιημέσοις νοέμενοι παθοδέτοι, ἵνε αἰδος αὐτῷ δύναται τοὺς θεόντας. Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit, ipsius enim inuisibilia à creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspicuntur, sempiterna videlicet eius virtus et diuinitas.

XXVI. Sed ut ad Philosophos redeamus, SOCRATES alibi quoque in citatis *ἀπομνημονεύματοι* inculcat, res diuinas omnino supra nos esse, deberi naturae excellentiori ac potentiori venerationem: ac qui, aut cuiusmodi sunt Dii, neque facile esse inuenire, neque



neque fas scrutari. Neque vero Dominorum natu-  
ram aut actus famulis cognitos esse oportere, *οὐδὲν πλέον ὑπῆρχοις προσήκει*, quibus nihil amplius famula-  
tu conuenit, et quibus sola obsequii gloria relicta est.

Id quod egregia itidem similitudine illustrat SOCRA-  
TES, dum soli hoc quidem commune esse cum Deo  
docet, quod maxime conspicuus cum sit, non ta-  
men oculis etiam acutissimis videndi sui potestatem

Xenoph. Me-  
mor. L.IV. p.  
m. 505.

faciat, imo procacibus eripiat lumen. Nuspam ta-  
men ipsum solem SOCrates Deum dixit, vti  
Epicureus Philosophus VELLEIVS apud CI-

CERONEM sapientissimum Philosophorum ca-  
lumniatur, id quod sectatoribus perditeae huius sectae

Cic. I. I. de  
Nat. Deor.

admodum solenne erat, cum CICERONE itidem  
teste l. c. non modo primipilus et antesignanus ipse

EPICVRVS ac praecipui eius asseclae Metrodo-  
rus et Hermachus contra Pythagoram, Platonem,

Empedoclem, dixerint, sed meretricula etiam Epi-  
curea LEONTIVM, cuius EPICVRI amicae

et aliarum eiusdem amicarum meminit PLVTAR-

CHVS in eo libro, quem inscripsit: ὅτι οὐδὲν ζῆν εἰνι

ηὔδεως κατ' Επίκουρον quod ne suauiter quidem viuere li-  
cet secundum Epicurum, contra THEOPHRA-

STVM scribere ausa fit. Quin etiam Aristotelem  
EPICVRVS contumeliosissime vexavit, Phaedoni

Socratico turpissime maledixit. Nec ullis siue ma-  
gistris, siue discipulis suis, pepercit, si in ipsius verba

non penitus iurarent, sed vel latum vnguem ab eius  
dictatis discederent. Ita in DEMOCRITVM,  
cuius fontibus tamen hortulos suos ita irrigauit, vt  
in Physicis nihil esset EPICVRI non a DEMO-

E 3 CRITO,

**CRITO**, procaciter ingratus eum per iocum illiberalem *ληρόνετον* i. e. nugarum delirum iudicem, item *γέραθεα* scribam vocitare solitus est, quod ne in medio quidem conuiuio a scribendo abstineret, vt auctor est

Athen. I. IV. **A'THENAEVS.** Quin etiam Nausiphanem  
Diplos. c. 19.

magistrum suum, a quo nihil se didicisse iactabat, pessime accepit, ac omnibus vexauit contumeliis. Quam turpissimam maledicendi artem ex egregio suo magistro didicit **ZENO** Epicureus, qui non eos solum, qui tum erant, philosophos, **APOLLODORVM**, **SYLLVM**, caeterosque ficebat maledictis, sed **SOCRATEM** ipsum parentem philosophiae latino verbo vtens, scurram Atticum fuisse dicebat. **CHRYSIPPVM** nunquam nisi Chēsippum vocabat *ἀπὸ τῆς χέρεν*, quod est *aluum exonerare*, vnde sine dubio Germanica vox actum hunc naturalem exprimens, et in vulgus nota ortum traxit. Quod scomma vel viro honesto, nedum graui philosopho, plane indignum erat. At vero ipse **EPICVRVS**, eiusque similes sectatores scurras inter et moriones vel hoc ipso nomine merito connumerantur, quod grauissimis viris, tum **SOCRATI**, tum **CHRYSIPPO** turpiter maledixerint: hoc enim scurrarum ingenium est, quod adhuc hodie pseudo-Philosopherga omnes verae sapientiae amantes gnauiter exercere solent, vt adeo nihil noui hac quoque ex parte sub sole geri liquido appareat. Profecto **SOCRATES** egregie prorsus, vt nullus alias philosophus, de Deo, prouidentia diuina ac vera virtute docuerat, quae **EPICVRO** Atheo dicis causa Deos admittenti, prouidentiam autem Dei ac immortalitatem animae palam negan-

neganti, peruersam ac impiam eius doctrinam funditus euertentia, non poterant non displicere. Hinc CICERO l.c. de EPICVRO recte iudicat: eum ex animis hominum radicitus extraxisse religionem, cum Diis immortalibus et opem et gratiam sustulerit.

XXVII. Sed ut eo se referat oratio, vnde paulisper digressa est, hanc doctrinam de Dei incomprehensibilitate cum multis aliis SOCRATES a Pythagora sine dubio accepit. Nam EUSEBIUS testatur: PLATONEM vna cum SOCRATE praeceptor suo inhaesisse vestigium PYTHAGORAE, atque ex isto fonte multa hauiisse. PYTHAGORAM autem ab Ebraeis multa in Graeciam translulisse, fere extra controversiam positum est. Quamuis enim concederemus, PYTHAGORAM Palaestinam nunquam accessisse, id quod LACTANTIUS contendit: in Aegypto tamen et Babylone facile Ebraicae doctrinae copia illi fieri potuit. Quae Ebraeorum dogmata PYTHAGORAM in Graeciam transtulisse PORPHYRIVS et HERMIPPOVS apud IOSEPHVM et ORIGENEM testantur, quibus adstipulatur IVSTINVS MARTYR; et CLEMENS ALEXANDRINVS ex mira dogmatum Mosis et Pythagorae conuenientia euincere co[n] natur, hunc ab illo plurima accepisse, ac sua inde irrigasse arua. Qualia inter recentiores quoque colligerunt GROTIUS et HVETIVS. Sine dubio igitur PYTHAGORAE aliquid innovuit ex reuelatione diuinitus facta, ubi scriptores sacri variis modis declarant, Deum ab hominibus perfecte cognosci non posse, velut cum eum dixerunt posuisse tenebras lati-

Euseb. Praep.

Eu. L. 14. c. 5

Laet. L. IV.

cap. II.

Porphyr. in

Vita Pythag.

Ioseph. L. I.

contra Apion

Origen. L. I.

cont. Celsium.

Iustin. Mart.

Coh. I. ad

Graecos.

Clem. Alex.

I. I. Strom.

Grotius de

V. R. C. I. I.

p. 68. ed. Cle-

rici. Huet.

Dem. Eu. p. 78.



## 40 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

Ps. XVIII. 12. latibulum suum; nubes et caliginem esse in circuitu  
 Ps. XCVI. 2. eius; eum vere esse Deum absconditum; lucem ha-  
 Es. XLV. 15. bitare inaccessiblem; eum nullum hominem vidisse,  
 1. Tim. VI. 16. sed nec videre posse; et nos eum videre nunc per  
 speculum in aenigmate, nunc cognoscere ex parte.

Dio Cassius  
 I. 57.

Iaque dogmata Iudaeorum cum referret DIO CAS-

SIVS, dixit credere eos, Deum esse ἀρρέντον καὶ αειδόν,  
 hoc est, neque verbis explicari, neque cerni posse.  
 Hinc etiam ORPHEVS ἐν ποίμασι, ita loquitur  
 EUSEBIVS, τῶν κατὰ τὸν ιερὸν λόγον αὐτῷ λεγομένων  
 Eu. L.XIII. 12. in iis carminibus, quae ad sacri sermonis formam ra-  
 pitionemque conscripsit, de Deo ita verba facit:

Ἐδὲ τις αὐτὸν

Εἰσοράσας Λυχῶν θυητῶν, νῶν δὲ εἰσοράσαται

Mortales fugit ille oculos, animoque videtur  
 et paulo post:

Αὐτὸν δὲ σχοέων περὶ γάρ νέφος ἐσήκεται

Namque ipsum per se baud video, quod densa tuerentur.

Impediat nubes

Idem Sibylla cecinit.

Τίς γάρ σαΐδες δύναται τὸν ἐπιχρόνιον καὶ αἰληθῆ

Οφειλμοῖς οὐδὲν Θεὸν ἀμβροτον, οὐ πέλον οὐκεῖ

Αλλ' οὐδὲν κατένον κατ', ἐναντίον ἡλίου

Αὐθεωποι σῆμα δύνατοι, θυητοὶ γεγονότες

Corporis oculis etenim quis cernere verum

Aeternumque Deum possit, coelumque colentem?

Cum neque splendentis radiantia lumina solis

Sustineant homines mortales cernere contra.

Hoc ipsum AVSONIVS in Ephemeride latinis  
 versibus expressit.

Omni-



*Omnipotens solo mentis mibi cognite cultu,  
Ignorate malis, et nulli ignote piorum  
Principio extremoque carens, antiquior aeuo  
Quod fuit, aut veniet; cuius formamque modumque,  
Nec mens complecti, poterit nec lingua profari.*

XXVIII. Ex hac doctrina de incomprehensibili Dei natura, in se vera et bona, forsitan singularis et superstitionis antiquissimorum Hebraeorum reuerentia erga esse entia illud Dei nomen יהוה, vulgo τετραγενέματος dictum, ortum traxit, ut scilicet ab eius pronunciatione abstinuerint, ne quotidiano vsu, ut ea, quae quotidie tractantur, vilescere solent, profanaretur; quam rationem Maimonides allegat, dum testatur: magnitudinem huius nominis et cautionem, ne quis illud legat, hinc esse, quod significet Dei exaltandi substantiam sive essentiam, et quidem ita significet, ut nulla creatura cum eo in ista significatione communicet. Hinc non solum recentiores Rabbini docent, illicitum fuisse id nomen proferre, nisi in sacerdotali benedictione solemni, et in diebus ieiunii a pontifice adhibitum: fuisse, quorum loca afferunt SIXTINVS AMAMA in Dissert. de nomine Iebouah: sed idem quoque PHILO disertis verbis affirmat: La minam auream quatuor habuisse insculptas literas non minis, quod solis, qui sapientia aures et linguam purgatam habent, fas est audire, et dicere in sacris, nemini vero prorsus alii vlo in loco. Item IOSEPHVS testatur: Deum Mosi significasse appellationem suam, quae non prius ad homines peruenisset, de qua sibi non liceat dicere. Quae εὐλάβεια sive reuerentia pri scorum erga hoc nomen τετραγενέματος initio forte consilio non malo, iudice B. D. BVDDEO, suscep ta, successu temporis in δεισιδαιμονια et superstitionem. Buldeus Hist. Eccl. V. T. p. 504.

Maimon. in  
Moreh Ne-  
boch. c. 61. P. L.

Philo I. III. de  
vita Mosis  
p. 519.

Josephus L. II.  
Archaeol. c. 5.  
f. 38.



## 42 DE REVERENTIA ADVERSVS DEVVM

p. 529.

turpissimam degenerauit, adeo vt scelus existimetur morte piandum, si quis, vt sonat, audeat eloqui. Ita PHILÓ eodem libro paulo ante citato: εἰ δὲ τις ἐλόγω βλασφημήσειν εἰς τῶν σεβεράπων καὶ Θεῶν Κύρου, ἀλλοὶ καὶ τολμήσειν αὐτῷ φθέγξασθαι τούνομα, θαυμάτε υπομενέτω τὴν δίκην: si quis non verbo blasphemarit in Dominum hominum et Deorum, sed ausus fuerit intempestive eius proferre nomen, subeat poenam mortis.

Hieron. ep.  
136. ad Marcel-  
lam.

Theodoret  
quaest. XV. in  
Exod.

Haec vero genuina causa est, cur et patribus, HIERONYMO, hoc nomen ἀνεψώντο, THEODORETO ἀφρασον, et passim in patrum scriptis ἀρέποντον καὶ ἀφθεγκτον, ἀπόρρητον καὶ ἐνθίναται μηδαμένον audiat, ubi ad HIERONYMII verba, quibus nomen tetragrammaton ἀνεψώντο i. e. ineffabile existimatum esse ait, addit MARIANVS VICTORIVS REATINVS: ideo ἀνεψώντο putauerunt, quod reverentia plenum sit nomen, veluti quod Deo magis conueniat. Ebraei, quia nullum aliud nomen sit, quod Deum nobis quidnam sit, magis exprimat יְהוָה vocauerunt. De Deo enim, ut testis est DIONYSIVS, magis possumus dicere, quid non sit, quam quid sit. Et si affirmando de eo loqui velimus: quidnam melius et accommodatius de eo dicemus, quam quod sit vera substantia, ille, qui vere sit, hoc est, οὐσία. Delusam olim variis erroribus gentilitatem, et ab Ebraica veritate, vna cum tempore, quotidie magis semper delaplasm, ab hoc nomine Iouis nomen, quod multis postea facinoribus figmentisque polluerunt, elicuisse aliqui credunt. Iehouah enim vox Ioui similis est, et iam Graece a vita ζεὺς appellatur: Sicut Ebrais ab essentia, quod idem est Iehouah: de quo Ioue suo vates Peiliades, Phemonoe antiquiores, teste PAVSANIA, cecinerunt:

ZEUS



Zeuς ἦν, Zeus ἐστι, Zeus ἔστεται, ὁ μεγαῖς Zeuſ. Pausan. in Phoc. l. X. p. 828.  
 quod est, ὁ ἦν, ὁ ἐστι, ὁ ἔρχομενος, quomodo IOANNES  
 Apoc. I, 4.nomen trium temporum Iehouah expressit.

XXIX. Ceterum apud Ethnicos quoque hunc morem nomina Dei Deorumue non proferendi obseruamus. Ex variis illustrem locum adducere iuuat, quem in PHILEMONIS reliquiis ex incertis comoediis legimus, vbi aliud iudicium post hanc vitam exspectandum affirmat:

Μηδὲν πλανηθῆς, ἐστι κανὸν σάδε κρίσις  
 Ὅπτερ ποιήσει Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης  
 Οὐ τὸνομα Φοβερὸν, γεδὸν ὀνομάσαιμ' εἴγω.

Nihil erraueris, est enim etiam in inferis iudicium,  
 Quod instituet Deus omnium Dominus,  
 Cuius nomen tremendum neque ego protulerim.

Euseb. I. 13.  
 praep. Eu.

Ita ORPHEVS de Deo apud EVSEBIVM:

Αλλ' εἰ μὲν θεμάτων σε λέγεν, τρομέω δέ τε γῆρας Εὐ νῶ. Sed non fas est te dicere, membra tremunt et animus cohorescit. Ita CICERO, vbi plures non Bacchos, vti CLE-  
 RICVS allegat, sed Mercurios enumerat: Quartus, in- Cic. I. 3. de  
 nat. D. c. 87.  
 quit, Nilo Patre, quem Aegyptii nefas habent nominare. II. 56.  
 An igitur mos ille, a pronunciatione nominis Dei Io. Cleric. ad  
 abstinendi, a Iudeis ad Ethnicos, an potius ab Ethni- Ex. c. 3. v. 15.  
 cis ad Iudeos transferit, in dubium vocari potest. Po-  
 steriorem sententiam amplectitur IO. CLERICVS  
 l. c. qui putat, Hebraeos, cum viderent, gentibus esse no-  
 mina quaedam Deorum arcana, quae proferre Ethnici  
 nisi in sacris, non audebant, meliori multo iure sibi a  
 veri Dei nomine proferendo abstinendum, reuerentiae  
 causa, existimarunt; post captiuitatem autem demum  
 Babyloniam veritos esse Iudeos, id nomen efferre.  
 Quam-



## 44 DE REVER ADV. DEV M SE IPSOS ET ALIOS.

Quamuis autem alioquin CLERICI sententiae minime addicti sumus, quando cum MARSHAMO et SPENCERO Hebraeorum ritus sacrasque caerimonias, quas a Deo, non sine typica Christi adumbratione, institutas esse vniuersus credit Christianismus, ex profanis Aegyptiorum moribus seculique vnu defiuat; quam profanam et absurdam opinionem ex professio confutauit celeberrimus Reformatorum Theologus HERMANNVS WITSIVS, in libro, quem *Aegyptiaca* et *Δεκαφυλον* inscripsit: Hac tamen in parte CLERICO assentiri minus dubitem, cum nullum vnuquam praeceptum, de nomine *Iehouah* non proferendo, exstet, quin potius efferri hoc nomen Deus ipse iussit, quoties in nomine suo יהוה aliquid annunciarci praecepit. Conf. summus Theologus B. CALOV. T. II. Syst. p. 155. adeoque haec res εθελοθησκειαν ac insignem superstitionem redolere videatur. Quamuis enim nemo dubitet, quae sunt verba CLERICI, quin laudabilis sit diuinis nominis reuerentia, quinve recte faciant, qui ab eius nomine in nugis proferendo abstinent, nemo tamen praeter Iudeos, aut simili superstitione laborantes, in singulari quodam sono sanctitatem quae siverit, aut magis minui diuinam maiestatem credat, si vox יהוה temere pronuncietur, quam si voces Θεος, aut Κύρος, aut ex quauis alia lingua petitae, nugis misceantur. Neque enim soni sunt per se vlla reuerentia digni, sed is, de quo cogitamus, quando soni illi aures nostras verberant, non potest nimia veneratione coli, adeoque non nisi seriis cogitationibus, eius Numinis notio misceri debet.

XXX. Hac occasione de antiquissima consuetudine, qua fideles Christo seruatori suo, ad IESV proprii illius nominis dulcissimi recitationem, reuerentiam tum genu flectendo, tum caput aperiendo exhibere solent, nonnulla commemorare ab instituto nostro haud alienum videbatur: sed cum iam pagellarum numerus praeter opinionem exreuerit, filium hac vice absumimus, et haec, aliaque huc pertinentia, sequenti dissertationi reseruamus.

S. D. G.



ED - Beg 2002

01 A 6739



5b.

D.

Rub. ✓

41  
Hilf





REVI  
ADVE  
SE IPS

AD ILLVSTRAN  
SACRARVM

D.

AMPLISSIMI P

GEORG. F  
S. THEOLOG  
CARVM ET LA  
FESS. PVBL.

D. VII

BVRCKH. I

Plerique scientiae typb  
dignentur, quasi  
Cyclopum, et exuen  
thesauri scientiae

LITERIS IOA

### Farbkarte #13

